









3  
32  
33  
3  
3





1766.

31. Hommel, Cordus Ferdinandus: Rhapsodia  
questionum in foro quotidie obvenientium, neque  
tamen legibus decisarum. Collectio II. Programma,  
quo summos in jure utroque honores.  
Jus Benedicto Furburo ... indicit.
32. Hommel, Cordus Ferdinandus, Jur. jur. prof. cancell.  
rus: Rhapsodia questionum in foro quotidie  
obvenientium, neque tamen legibus decisarum.  
Coll. 12. Programma, quo ... solennia doctoralia  
Ludovici Kochii indicit.
33. Hommelius, Cordus Ferdinandus: Rhapsodia  
questionum in foro quotidie obvenientium ne-  
que tamen legibus decisarum. Collectio III.
34. Kochius, Ludovicus: De uxore immobilium sua  
solo consentiente marito valide alienante.
35. Lochmann, Gottwolf Ferdinandus: De jurisdictione  
patrimoniali.

1766.

36. Platnerus, Fridericus: De sacris clandestinis
37. Platnerus, Fridericus: De potestate principis  
in ecclesiam majestatis parte.
38. Puettmannus, Tobias Ludovicus Emilius: Varia juris  
civilis capita.
39. Schott, Augustus Fridericus: De indole potestatis patris  
ex juris naturalis principis
40. Schott, Augustus Fridericus: De usurpata vestimen-  
torum, ex voluntate constituentis vel vero vel  
quasi tali ad cap. 15 § 4 ff de usuf. et § 2. Inst-  
de usuf.
41. Segerus, Johannes Theophilus: De statutis Fribur-  
gensis.
42. Segerus, Joh. Theophilus: De re singulari  
e pluribus uno pretio venditis retrahenda.



1766.

43. Wiersandius, Georgius Stephanus: De cessione  
usufructus extraneo facta.

44. Zollerus, Frd. Gottlieb: De numero, non pondere  
spectando in materia signata.

45. Zollerus, Frd. Gottlieb: An dotabilium, si  
femina ad secunda vota transeat, capiet?

46. Zollerus, Frd. Gottlieb: De magistratu male  
procedente, fidem publicam violente, ejusque  
puna.





8595

1766, 41.

DE

# STATVTIS FRIBERGENSIBVS

ILLVSTR. IVRE CTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOHANNE THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

CODICIS ANTECESS. ORDINAR. SVSTIT. COLLEGIO

I. CTORVM ADSRIPTO

A. D. XVIII. IVNII A. AE. CHR. MDCCLXVI

COLLOQVIVM INSTITVET

L I B E L L I A V C T O R

IOHANNES GOTTLOB GRVNDIG

---

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE





STATIUS PRINCEPS

ILLUSTRISSIMO

AVTO

P. R. A. S. I. D. E.

IOHANNES THEOPHILUS SEGERO

PHYSICUS ET ANATOMUS

CONSTITUTUS

IN

PHYSICA

COLLEGII

PHYSICORUM

IOHANNES GOTTLIEB SEVERIUS

PHYSICUS

PHYSICORUM





CHRISTOPHORO GOTTLOB  
GRYNDIGIO

SACRORVM IN VRBE ET DIOECESI  
FRIBERGENSE ANTISTITI

PATRI SVMME VENERABILI

D. D. D

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS

IOHANNES GOTTLOB







**D**iu multumque quaesivi, *PATER OPTI-*  
*ME*, quod tandem obsequii pignus, cum  
omne, quod meum habetur, *TVVM*  
sit, *TIBI* possem publice tradere, neque hanc  
solam occasionem, quae litterarum studioso se  
offerat, e facultatibus meis absque usura dimit-  
tam. *TIBI* enim omnia me debere cum tenerrimo  
pietatis ac dulcedinis sensu profiteor, nec unquam  
eorum beneficiorum, quibus me tum a prima inde ae-  
tate, cum hoc imprimis quadriennio, quo mihi in  
hac studiorum vniuersitate commorari licuit, orna-  
sti, gratissimo meo animo excidet, quem nisi tanto  
*TVI* amore esset affectus, ipse profecto odissem ac  
detestarer. Accipe igitur hunc libellum dotibus  
quidem suis parum commendabilem, *TIBI* vero, *VE-*  
*NERABILIS PATER*, nisi argumenti, quod  
ex carae *TVAE* Fribergae tabulario sumsi, cer-  
et



te sui scriptoris causa non ingratum futurum,  
pietatis atque obseruantiae meae interpretem.  
Quem si eadem, qua semper aduersus me uti soles,  
indulgentia admiseris, nouo benignitatis genere me  
**TIBI** adstrictum sentiam, neque enim, quam in  
dandis muneribus plane singularem perspexi, ut est  
natorum sors, in accipiendis hucusque liberalitatem  
paternam cognoui. Ego vero quotidie summo Nu-  
mini pro **TVA** salute atque incolumitate supplico.  
Det Deus precibus meis locum, **TE**que cum **IN-**  
**DVLGENTISSIMA MATRE MEA** diu-  
tissime saluum atque omni felicitatis genere cumu-  
latum praestet. Vale et in posterum quoque me  
ama.





§. I.



Argumentum, super quo publice more academico disceptaretur, cum proponendum esset, me tale meditationem valde suauius rerum patriarum allexit, nec multum haesi iuris Romani pandectis, quarum omnis titulus, imo particula fere, illustrata centum clarorum iureconsultorum laboribus conspicitur, praeferre iuris patrii caput, quod curiositati meae prae aliis vetustas egregia et hoc maxime commendabat, quod non inuenirem, qui peculiari consilio de eo aliquid litteris prodidisset, etsi omnes, quibus urbis nostrae statuta inspicere vnquam licuit, accuratiore designatione ea iudicarent dignissima, quippe quorum ope res patriae antiquior optime explicari posset atque illustrari. Sed superfluum foret materiae pretium ulterius commendare, quae ipsa facile dignitatem suam tuetur. Iam vero id agam, ut indicem, mei in praesens propositi esse, in statutorum Fribergenensium originem inquirere ac fata illorum delineare. Quorum quum de usu hodierno ac iuris communis differentiis, tam scriptionis termini, quam ipsa rei difficultas plura proferre prohibeant, ne hoc plane neglexisse videar, de successione e capite statutorum primo aliqua coronidis loco proponam.



## §. II.

*Codicis authentici descriptio.*

Antequam in ipsius iuris Fribergensis originem inquiri, nonnulla de codicis originalis facie praemittam. Elegantissimus iste codex in curia inclutae vrbis adseruatur, ab Amplissimo que Senatu, quouis argento carior, custoditur, vnde feliciter euenit, vt ipsa temporis iniuria, omnibus eiusmodi operis certissimam perniciem minari solita, nostro codici ne minimum quidem potuerit detrimentum adferre, tineae vero atque mures eo religiose abstinuerint. Scriptus est in membranarum paullo crassioribus, diptychis quidem, verum illis ordinariam aliquanto latitudinem excedentibus. Totus liber cum indicibus et opificum statutis folia CLIII. complectitur. Ius statutarium vetus eique praemissus capitum index vnus librarii manu curatissime exaratus est. Paginae intercisae, litterarum character Gothicus, magnam quidem antiquitatem testans, elegantissimus tamen. Codice nostro cum aliis seculorum XIII. XIV. et XV. scripturis collato, eum seculo XIII. et eius quidem anno XCIV. quem manus recentior fronti libri adscripsit, exaratum esse, haut inepte colligi, quin vix negari potest, quum singularis vetustas ex his quoque eluceat, quod scribae neque commatum, neque colorum, nullorumque signorum, quibus scripturas distinguere solemus, nisi puncti, vsus cognitus fuit, litterarum vero compendia, quae, si crebro occurrant, indubia seculi recentioris indicia sunt, non nisi rarissima hic obueniunt, quare notatu dignum videtur, verbum *marcgreuen*, quoties occurrit, toties litteris arctissime compressis atque in compendium coactis: *marcgreuen* scriptum esse, ita, vt alius verbi rasura deleti suspicio remaneat, quod quidem verbum *konig* vel *ursten*, alibi vsitatum, fuisse videtur. In fine capituli cuiusuis, semipaginae aliquot, folia interdum integra, scriptura carent, quibus nimirum additamenta forte necessaria inscribi possent, quod passim factum, vt folio CXXXIX. augmenta non exigua a manu recentiore accesserunt. Index alphabeticus codici praefixus, opificum



ficum statuta vt et numeri folijs adscripti, diuersarum manuum operas recentiores produunt. Folia sub finem alligata, monumentorum quorundam, quibus statutorum historia illustratur, copiam faciunt. Excipiunt haec a folio inde CLXI ad LXIII. iura de Telonio, et vltimo loco annotata quaedam, de murorum vrbis exstructione, statuta duo de iure peregrinis dicundo, consuetudines textorum, statutum de pignorum capione: nomina demum ac vitas quinque vrbis notariorum ab iis ipsis conscriptas, folia ad calcem adiecta exhibent.

## §. III.

*Statutorum capita.*

Omnis lex municipalis capitibus XLIX. absoluitur, quorum inscriptiones, quod ex iis totius operis oeconomia facile perspicitur, e codice originali huc transcribendas duximus. Breuem introitum, huius commatis:

*Got der bimel vnde erde geschuf  
der helfe uns uolbringen diz buch  
des helfe vns got amen.*

*Ich hebe an in gotis namen  
vnde schreibe vriberscb recht  
wer mir helfe der si gotis knecht.*

capita hoc ordine sequuntur: c. I. von deme erbe. c. II. von der besetzenheit vnd ouch von deme erbe c. III. von dem gaste der da teidinget mit deme wirt vnd wi der wirt sin recht beheldit c. IV. von deme geschozze wo man schozzen sulle vnd wi man zu rechte schozzen sulle. c. V. von der ee vnd ouch von deme erbe vnd ouch von der besetzenheit. c. VI. von der Munce rechte. c. VII. von dem velschere wi man den gewinnen sal zu rechte. c. VIII. von deme gezuge vmmeme vride. c. IX. von deme Anvange eines pferdis. c. X. von deme Anvange einer ku vnde allerleie vbes. c. XI. von deme anvange gewandes oder kleidere oder allerleie dinge. c. XII. von dem gezuge vmmeme kouffschaz mit erhaften laten. c. XIII. von dem



dem gezuge mit dem richter vñme allerleie sache si sei gröz oder kleine. c. XIV. von der verwindunge mit deme rate vñme bezzerunge eines totslagis oder wunden. c. XV. von der verwindunge vñme gelubde an einer bezzerunge vñme totslege oder vñme wunden. c. XVI. von zweier manne willekure zu den luten oder ziunge zu den luten vor gericht. c. XVII. von dem gezuge den man mit gezuge brechen will. c. XVIII. von den di ir vormunden verlorn haben. c. XIX. von deme diebe wi man den gewinnen sal. c. XX. von deme Roubere wi man den gewinnen sal. c. XXI. von den di ein man verzellen wil vñme doube oder vñme roup uf iren hals mit rechte. c. XXII. von den di da verzalt sin vñme dube oder vñme roup uf den hals wi man di gewinnen sal. c. XXIII. von den vormunden der da einen vz sal zibn vñme totslege oder vñme wunden. c. XXIV. von den vormunden vñme den vriden vñde vñme schult. c. XXV. von der vormundschaft wer des andern vormunde wirdet. c. XXVI. von der burger briue waz rechtis der hat vñd di haben di daran sten. c. XXVII. von deme kampfe wi man den zu rechte teidingen sal vffiz ende. c. XXVIII. von der heimsuche wi man di zu rechte volbringen sal. c. XXIX. von deme richter zu irsetzene an eyne gezuge. c. XXX. von den wunten luten di der richter vorderen muz zu rechte. c. XXXI. von deme gericht di wile der richter sitzet vñd dinget. c. XXXII. von dem astervoite waz he gewalt vñd rechtis hat. c. XXXIII. von der erenklage wo vñde vvi man di beheldet. c. XXXIV. von deme obersten voite waz he gewalt vñde rechtis hat. c. XXXV. von der burger schreiber. c. XXXVI. von den butelen. c. XXXVII. von deme hercmeistere waz der gewalt vñd rechtis habe. c. XXXVIII. von den munzmeistern waz di gewalt vñd rechtis haben. c. XXXIX. von dem lantrichtere waz der gewalt vñd rechtis habe. c. XL. von dem Czolnere waz der gewalt vñd rechtis habe. c. XLI. von den lantherrn waz di rechtis haben. c. XLII. von der beckerinnunge. c. XLIII. von der Fleischboverinnunge waz di rechtis haben. c. XLIV. von den schuworchten vñd von ir innunge. c. XLV. von der schroter innunge. c. XLVI.

von



von der cremerinnunge wvaz di rechtis haben. c. XLVII. von den koufluten di in den koufbuse sten wvaz di rechtis haben. c. XLVIII. von den burgerin di haben gewalt vbir dise alle. c. XLIX. von der antvurte voelche man den anclirn antvourten sulle zu rechte. Ab hoc ordine codex recentior aliquantum recedit, cuius faciendā est aliqua mentio.

## §. IV.

*De Codice statutorum recentiori.*

Nam non abs re fore puto, hic pauca de eo volumine itidem in curia Fribergensi bene seruato adponere. Totum opus folia LXXIII. partim membranacea partim chartacea complectitur, et vna manu satis eleganter scriptum, nonnumquam priori codice vel curatius est, quamuis in eo quoque scripturae vitia passim notari queant. Litterarum ductus ac scribendi ratio haut obscure docent, libri aetatem seculi XV. initio tribuendam esse, quod ex mea opinione, verba sub finem legenda: *Anno XXXIII. finitus est liber iste*, indicant. Paginae octo priores capitum atque sectionum indicem satis amplum exhibent, hunc sequitur ius statutarium vetus, eadem serie, qua in codice antiquiori conspicitur, pluribus tamen diuisionibus distinctum, nouum porro caput quod in MSSo priori non extat: *vwillikur der burger zu Friberg vnde der gemeyne vnde der hantverck mit hern Thomafins Rote des Munczmeisters zcu den geczyten zcu Friberg*, quod excipit statutum pannificum (*Tuchmecher innunge*) et pars denique iuris metallici altera, vti extat in codice iuris metallici, ex quo inserta est libro vern. *Vrsprung der Bergverke in Sachsen*, p. 221. sq. Notandum est, loco verbi *marcguen* in codice priori vsitati, in hoc verbum Konig, quod huncce codicem ab exemplo prioris illius aetatem superante desumptum esse, nisi fallor, ostendit.

## §. V.

*Statutorum origo.*

Primam vero originem statutorum nostrorum inuestiganti omnia suadent, eam ab ipso, quo Friberga condita. seculo XII. vel subsequenti



quentis certe XIII. initio repetendam esse, atque urbem post prima statim initia sua, ius proprium habuisse, quod firmatur litteris Henrici illustris d. VI. Iulii anni MCCLV. datis, \*) quibus Fribergensium iura plane sic approbantur: *Notum facimus uniuersis, et presentibus protestamur quod talia iura burgenfibus nostris et montanis de Vriberc relinquere volumus omni parte, qualia habuerunt temporibus patris nostri.* Pater vero Henrici Theodoricus Marchio anno MCCXXI. obiit, quare non est quod dubitemus, iam antecedenti seculo hoc iure Fribergenses vsos fuisse. In quò consentit auctor libelli praestantissimi *Ursprung der Bergverke* etc. p. 72. 82. nec illi opinioni aduersatur Georgius Fabricius, qui in annalibus Fribergensibus ad annum MCCXCIV. *Leges, ait, ciuiles et iura metallica Fribergensibus conscripta.* Quibus verbis statutorum compilationem atque in corpus digestionem, vti extant in codice descripto, aequae ac Mollerus indicasse videtur. Nam Mollerus quidem Chronici Fribergensis P. I. p. 169. item in Annalibus p. 33. ad annum eundem: *Als das Land, inquit, auf geschlossenen Frieden wieder ein vvenig Ruhe bekommen, hat Marggraff Friederich der Freudige sich bemühet das Justitiuwesen auch in Stand zu bringen, hat deswegen durch ein sonderbares priuilegium, dem Rath die obergerichte bestättiget vnd macht gegeben, nicht allein buergerliche gesetze und eine beständige gerichtordnung, sondern auch gewisse Bergrechte zusammen zu tragen und in ein Corpus zu bringen, vorauff das alte Freibergische Stadt und Bergrecht aufgesetzt vnd publiciret worden etc.* Suffragatur Clariss. Klotzschius in libro vernaculo *Das Verzellen* etc. p. 8. 54. et alibi passim, nec est, cur assensum meum retineam, quum praeter litteras Friderici Marchionis de die ascensionis Christi anno MCCXCIV. a Mollero P. I. Sect. II. et in libro laud. *Ursprung der Bergverke* p. 283. publicatas, quibus plane princeps: *Vnser gesvorn (nempe senatus) sullen gevaldic sin czurugene vnde czu seczene alliz daz uns*

\*) Insertae sunt Codicis Augustei P. II. f. 74. Hornii Vitae Henrici Illustr. Cod. Dipl. N. XXIII. p. 312. item libro laudato *Ursprung der Bergv.* p. 281.



uns und unsir stat und unseme berecoverke nucze ist, huius asserti veritas, e veteri ciuium iuratorum statuto, anni MCCC.V. apparet. In eo, vti insertum est libro I. *Das Verzellen* p. 149. sq. illi, qui ex horum ciuium numero, vel occiderit vel vulnere lethali affecerit quendam, poena infligitur: *den sal man vorzelin vffe sinen hals, nach der stat rechthe* etc. e quibus prono alueo fluit, statuta nostra iam hoc anno MCCC.V. legis publice iustae vim habuisse. Certe si nihil horum documentorum adesset, egregiam statutorum vetustatem ipsa sermionis ac verborum antiquitas esset indicatura, quorum plura exempla Haltausius in *Glossario* exhibet e codice quidem statutorum Fribergensium, verum eo valde corrupto ac minus accurate \*) scripto, vt hinc vir doctissimus verba maxime ambigua ob MSSi sui defectus silentio plane praeterierit, cuiusmodi nonnulla explicantur in praefatione *Tom. III. Scriptorum Rer. Germ. Leibnitii*. Quae enim illic leguntur Leges Goslarienses et metallicae montis Rammellii, permulta tam verba quam rerum argumenta cum statutis nostris habent communia, et ad maiorem horum perspicuitatem multum conferre possunt.

## §. VI.

*Fata statutorum ante Constitutiones Electorales.*

Natali statutorum origine indagata illisque suo seculo vindicatis, fata eorum breuiter enarrabo: Statutis ita, Friderici Marchionis iussu anno MCCXCIV. in vnum corpus digestis, eorum auctoritas non vrbis tantum muris continebatur, verum eandem potestatem quatuor milliaribus circum urbem habebant, eaque propter omnes, qui intra hocce spatium habitabant, *ciues*, qui vero extra, *peregrini* audiebant, vti colligi potest ex statuto: *vvelch man in den vir milen vmmе Friberg gefeeczzen ist, der ist kein*

\*) Sic in *Specimine Glossarii* p. 13. Haltausii Codex habet: *Ist es aber das ein man sein wort spricht und beginnet zu standen oder zu strandeln etc.* quum codex authenticus legat: *Ist aber das ein man sin wort selbe spricht und beginnet zu strandeln daran. etc.*



*kein gast nicht alße czu misne. zu kenniz. zu dresden vnd da binnen di mugen zu dinge wol kumen den sal man bescheiden in daz dinc, wuelch man aber uz den vir milen gefeczczen ist der ist ein gast deme sal man richten zu hant oder bezugen ubir di rovere nacht etc.* Itaque Fribergenses incolas delinquentes quatuor ab vrbe miliaribus arcebant, vti clariss. Klotzschius l. c. p. 39. notauit. Fata statutorum subsequētibz temporibus quod attinet, monumentum antiquius non obuēnit litteris Friderici, Balthasaris et Gulielmi fratrum anno MCCCLXXIII. datis, quibus articuli quidam caput XXXI. statut. de ordine iudiciorum vberius explicantes dictoquo anno a senatu Fribergensi oblati confirmantur. Hae litterae in curia nondum publicatae seruantur aequae atque Henrici Ducis Rescriptum de anno MDXVII. quo remedium prouocationis contra statuta admissum atque in primis factum est, vt plures hoc iure vterentur et sic statuta semel atque iterum principis confirmatione indigerent. Praesertim caput primum de successione hereditariis saepius ansam litibus praebuit, et speciatim confirmatum est a Mauritio Electore anno MDXLIII. ab Augusto Elect. annis MDXLIX. et MDLX. denique a Ioanne Georgio El. anno MDCLIX. Quin eo etiam pertinet Christiani Elect. Rescriptum de die XXV. Iulii anni MDCIV. Quum enim in decreto eiusdem anni Curia regiminis Electoralis, voce *geradae* vsa esset, Fribergenses monuerunt illam iure statutorum exulare, et vt legis municipalis auctoritas sustineretur, petierunt, cui petitioni Elector hoc Rescripto annuit.

## §. VII.

*Fata Statutorum post Constitutiones Saxonicas.*

Enimvero fatalem statutis periodum, illud inquam, tempus, quo D. Augusti El. nouae constitutiones magnam eorum partem moribus exoletis associauerunt, attingo. Constitutionibus anno MDLXXII. rite promulgatis, Fribergenses permulta in iis, quae consuetudinibus suis repugnarent, deprehendentes, non sine magno dolore ius a prouis receptum obliuioni tradendum esse sentiebant,



tiebant. Quod tamen omni quo potuerunt studio auertere conabantur nec vllum seruandae consuetudinis consilium ire tentatum relinquebant: Omnibus igitur constitutionum sanctionibus, quibus statutis derogabatur, curate collectis fortiter rationes suas opposuerunt, et viros quosdam senatorios, qui eas Electori cum adiuncta pro retinendis moribus antiquis supplicatione offerrent, Torgauiam ablegarunt. Hi Georgio Cracouio quem Iuris Doctorem et Consiliarium Electoralem causae patronum elegerant, exceptiones suas diserte exposuerunt, et stragem quae ex Constitutionibus potissimum XXVIII. XXIX. XXXII. primae XIII. XIV. secundae et VIII. IX. et XII. tertiae partis statutis enasceretur, demonstrarunt. Hic autem plerasque eorum obiectiones respuens, deque matris a successione liberorum inprimis exclusionem his inter cetera verbis mentem declarans: *Dass solche grobe, viehische, vnmenschliche, vnbillige rechte, so auch wider die Natur, seines erachtens durch alte gebreuche, vveil es dem vvalte nahent, aus boehmen in diese herrliche Lande gestoben*, etc. adeo displicuit huius negotii scriptori, vt paullo post, quum Cracouius se auctorem constitutionum praedicasset, adponeret: *Notandum stellis ietzt den 29. Augusti 1574. sitzt Doctor Cracau im Turme zu Leipzig, ideo, quod contra datam fidem, Iuramentum et voluntatem principis egerit; quam annotationem alibi copiosius, non sine animi Cracouio irati suspicione repetit.* Ipsi deinde die XIV. Martii Electori articulis cum supplicatione oblatis, speciali Rescripto, quod eodem die datum obsequium constitutionibus praestandum, atque eorum promulgatio ciuibus rite facienda iniungebatur. Sed aduersa hac fortuna non deterriti Fribergenses omni cura statuta sustinere allaborarunt. Nam protestationibus suis nihil efficientes Scabinos Wittebergenses ac Lipsienses adierunt, quorum aequitati confissi sententias iuri statuario congruas expectabant. Quum vero hi secundum normam constitutionum non pronunciare nolent, nouis supplicationibus Electorem mouere conati sunt, qui quidem Resolutione d. VI. Iulii anni MDLXXVI. data, eamque



subsecuta anno MDLXXVII. d. V. Martii Declaratione, totam causam contra statutorum auctoritatem decidit, et Scabinis tam Wittebergensibus quam Lipsiensibus, singulari rescripto d. I. Februarii anni MDLXXXII. hancce Declarationem, iuris Fribergensibus dicundi normam proposuit.

## §. VIII.

*Quantum per constitutiones statutis derogatum sit.*

Ne quis vero false putet constitutionibus Electoralibus totam statutorum nostrorum summam euersam esse; eas quidem leges, quae statutis aduersantur, commemorabo: Sic Part. I. const. XXVIII. eius verba: *und nach diesem, soll des Schuldners Ehe-  
weib - - vorgezogen werden*, statutorum capiti primo contradicunt, quod praecipit: *Sovo ein man stirbet; vnd lezet eine hufuroooven  
vnd kindere. vnde lezit eigen vnd erbe. hus.hof. voroverk. butten.  
vnd teil. kouffschatz. vnd schult vnd bi namen allerleie varnde habe.  
daz ist daz dritte teil der uroooven. und die zwoei teil der kindere.* Horum auctoritate Fribergenses viduae illatorum repetitionem prorsus denegabant, omnium tamen defuncti mariti bonorum, si liberi adessent, tertiam, deducto aere alieno, partem tribuebant, cui constitutionum cum statutis bello, ita subuenit Elector laudata Resolutione, vt viduis, ne omnem statuti potestatem delere videretur, ius electionis concederet illata velle, an tertiam vniuersae hereditatis partem capere. Eiusdem porro constitutionis verba: *vvaere  
aber ein Glaebiger - - anzumassen haben*, item ac constitutionis XXIX. verba: *voir verbieten auch - - unkraefftig seyn*, ius statutis plane contrarium faciunt, quibus nempe antiquitus alia longe ratio erat inducta, quam multis rationibus Fribergenses defendebant. At illi tamen Electori, vt petitis annueret, persuadere non valuerunt, ac statutorum vsus in hac causa prorsus cessauit. Insigne aliud statutorum caput abrogatum est per constitut. VIII. P. III. qua matri ex liberorum hereditate pars legitima vindicatur, et liberis vicissim eadem ex hereditate materna redditur, contra statuti verba: *Nimet ein Man eine Witeooven mit irme dritten teile si ster-  
be*



be ane erben bi im. ir kint haben chein teil daran zu rechte. iz ist des mannes zu deme si iz bracht hat. Secundum ea enim liberi sibi inuicem succedebant praeterita matre, e contrario cuius hereditate exuebantur. Constitutio denique XII. Part. III. eatenus derogat statuto, quatenus hoc seruato in successione coniugum vniuersali legitima parentum defuncti coniugis absorbetur, quum per constitutionem parentibus ea pars de bonis liberorum defunctorum semper salua manere debeat.

## §. IX.

*Statutorum vsus hodiernus.*

Capita, quae per constitutiones vel abrogata vel imminuta sunt, indicaui quantus reliquorum vsus sit hodiernus, inuestiganti omnino fatendum est, statuta nostra iisdem, quibus aliae constitutiones humanae vicissitudinibus obnoxia, iisque modo additum, modo derogatum fuisse, et quamuis Principum indultu legibus contraria statuentibus non omnino cesserint, tamen magnam partem, mutata rerum facie, moribus contrariis in defuetudinem abiisse, ita, vt plurium capitum hodie vel nullus vel exiguus saltem vsus, quin multorum ne satis quidem distincta notitia supersit. Quod probatur exemplo poenae illius famosissimae *des verzellens*. Haec non solum in statutis nostris, verum etiam in plerisque aliis medii aevi monumentis obuenerit, ita autem vsu et memoria simul excidit, vt a scriptoribus recentioribus, Mollero, in *Chron. Frib.* Haltausio in *Glossario* aliisque admodum obscure ac false definita fuerit, vti docet Clar. Klotzsch. saepe laud. libro *vom verzellen*: alia exempla silentio praeteribo. Quamuis vero statuta nostra multum splendoris antiqui sic perdiderint, eorumque potestas valde debilitata sit; magna tamen, nec ignobilis eorum pars, auctoritate pristina gaudet, quod optime, vt alia taceam, patet ex capite statuti de successione coniugum. Illud enim adhuc tantam potestatem, tantumque in foro vsu habet, vt, quia ius legibus Romanis et Saxonis aduersum inuexit, perlustratione paullulum curatori dignissimum videatur.



## §. X.

*Statutum de Coniugum successione explicatur.*

Igitur caput I. statutorum de iure hereditario tam liberorum quam coniugum agit. Hi quidem alio modo existentibus, alio deficientibus liberis succedunt. Priori casu marito omnium defunctae coniugis bonorum successio defertur per verba: *Stirbit im ein weip he nimet wol ein andere vnd tut wi he will. sine kint mugen in des nit gewern. si in haben ouch nicht zu eischene zu im noch zu vorderne wan also uil also he in selbe geben wil.* Vxor contra ex hereditate mariti omnium bonorum partem tertiam capit, deducto prius aere alieno et collatione illatorum facta. Ita enim statutum: *Swo ein man stirbet vnd lezet eine husurowen vnd kindere vnde lezet eigen vnd erbe. bus. hof. vorwerck. hutten. vnd teil. koufschatz. und schult. vnd bi namen allerleie varnde habe daz ist daz dritte teil der urowen, vnd di zwei teil der kindere. Ist der kindere uire. sechs. cebene. zwelue oder zwei oder einz. so ist iz aber also.* Nullum vero discrimen est inter liberos, siue sint ex eodem siue ex diuersis matrimoniis prognati: *Sint ouch di kindere uon zwen von drin oder uon uiren eelichen husurowen vnd uon einem vater. si teilen alle gelich di zwei teil des gutis mit einander. waz aber vneelicher kinder sint. vnd amien di in haben chein erbeteil daran ichte.* Si vxor stipulata sit dotalitium, hoc solum capere, ac liberis iterum relinquere iubetur. Altero casu, si liberi nempe deficient, coniux vterque indistincte alteri succedit ex statuto: *Stirbit ein man vnd lezet eine vrowe vnd nicht kindere. vnd lezet erbe vnd gut daz si mit einander ir erbeit haben daz beheldet si wol mit rechte ob he wol brudere oder sweistere omen oder veteren hat di haben chein erbeteil daran icht. Si ist in ouch nicht pflichtic zu gebene der man hab iz in dan bescheiden mit irne willen.* Subiunctum est paullo post: *vriet ein man sine sine einis mannes tochter vnd geben in gut beider sit. he oder si sterbe one erben so beheldet daz andere io waz si zu samne bracht haben. iz in si denne also vil daz man iz unterscheiden habe wizenliche mit gelubde.* Coniuges ita succedentes nec hodie tenentur defuncti fratribus

bus



bus ceterisque consanguineis vel vtensiles vel expeditorias res praestare. Quin olim ne parentibus quidem legitima debebatur, nisi inter coniuges ita conuenisset, aut bona ab initio statim diuisa fuissent. Atque hoc quidem interpretandum est de omnibus bonis in vniuersum, nulla temporis, vel loci ratione habita, quamuis Illustri Bergero in *Oeconom. Iur.* L. II. T. IV. n. 9. verbis: *daz si mit eman-der ir erbeit haben*, bona tantum constante matrimonio comparata denotari secundum interpretationis regulas videantur. Nam ex eo, quod sequitur: *so beheldet daz andere io waz si zu samme bracht haben*, satis apparet, nostram expositionem vtique veram et genuinam esse, quae diuturno fori vsu conualuit et repetitis confirmationibus corroborata est, cuius auctoritate etiam nunc, coniugi superstiti omnia omnino bona, salua tamen per constitutionem XII. P. III. parentum legitima parte, adjudicantur. Legata vero etiam si piis causis relicta incio coniuge superstite impugnari posse, item Bergerus l. c. auctoritate sententiae F. I. Lipsi. M. Maio MDCCIX. quam confirmauerit F. V. M. Nouembr. eiusdem anni, comprobatum docet, huiusque effecti rationes affert, quod statutum vtatur generatim verbis: *ob he wol brudere - - bat*. quibus etiam piae causae contineantur, idem porro statutum cap. V. si vidua superstes non sit, sint tamen fratres et sorores, legata, speciatim piarum causarum mentione iniecta, valere iubeat: *ist ouch daz he bat brudere oder swester. vettern oder omen, waz he dem bescheidet. oder zu gotibus fern v. z. sine gute oder von sine erbe zu gebene daz bestet ouch billige* etc. vnde secus esse debere altero casu, sic ubi vidua defuncti superstit, colligatur.

## §. XI.

*Indoles Germanica huius statuti.*

Vt vero statuta omnino originem Germanicam prae se ferunt, sic illa de successione coniugum lex eandem prodit. Nam eius quidem causae et fundamentum est vetus Germanorum condominium cuius vxor statim post nuptias, teste Tacito M. G. c. XVII. particeps reddebatur: Aequitas enim vrgebat, vt, quae laborum esset socia, fieret



feret quoque fructuum labore suo comparatorum compos, ideoque bona coniugibus haberentur communia, *quae tamen communio*, velut ait Iustus Veracius in Consuetudin. Bambergensibus. P. II. *inter coniuges, longe aliter hic accipitur, quam apud Romanos, eorumque in societate et de communi diuidendo et familia herciscunda iudiciis, hic enim re vera diuisa res est et nemo eam possidet in solidum. Sed coniux cuius Germanus totius patrimonii vtrobique confusi est dominus, et quae uxoris fuerunt iam et mariti sunt et contra.* Idem pergit: *sunt autem communia vniuersim omnia bona, mobilia, immobilia acquisita et acquirenda. Mortuo itaque coniuge alterutro, superstes dominium acquirit solitarie.* Neque demortuo est integrum aliter disponere in testamento. Ceterum superstes tenetur soluere multam et aes alienum, quod coniux alter contraxit quocunque nomine et causa, quamuis superet alteram partem. Quae omnia pulcherrime conspirant cum statuto nostro, et illustrari possunt aliarum ciuitatum, praesertim Leodiensis statutis; haec enim teste Car. de Mean T. I. Obs. 51. tam sancte ius antiquum Germaniae colunt, vt non extantibus liberis, soluto matrimonio, solidum omnium bonorum dominium coniugi superstiti cedat, non iure quodam hereditario, sed communionis. Hoc ius, quod per matrimonium dextris datis et ligatis ipso iure, citra vllam conuentionem introducit, eidem auctori obs. 51. *Ius manus plicatae* vocatur et seruatur etiam statutis Halae Sueuicae, aliisque, quorum nolo hic longum indicem texere, quum ea in Ludwigi Differtii *Iur. R. et Germ. in success. coniug.* nec non Boehmeri *diff. de aeris alieni inter coniuges Hamburg. communionem*, satis copiose adferantur. Huius talis communionis natura requirit, vt vtrique coniugi paria sint onera ferenda, quod expresse statuta nostra cauerunt: *uelch man oder uroove. oder uelch kint erbeteil nimit, daz sal ouch di schult mite gelden zu rechte und daz di bigraft kostet also wil alse im geburt und also verre alse daz erbe geuenden mac.* Idem plane ordinatum esse statuto Hamburgensi, docet Boehmerus l. c. summa quidem ratione, etiamsi dissentit Meuius P. I. Decis. 123. et cum



eo Harpprecht *Consult. XCVII. n. 26.* quibus impium, iuri diuino atque humano contrarium, ideoque inualidum, tale statutum videtur.

## §. XII.

*Singularia Statutorum.*

Ceterum statuta paullo diligentius inspecturis multa oppido apparebunt, vrbi nostrae cum aliarum ciuitatum statutis communia, multa contra, quae plane singularia habeantur, occurrent. Pauca exempla e capitibus prioribus adiiciam. Sic memoratu dignum est, quod ex primo capite dominus annali quasi possessione nifus censum hereditarium sibi deberi, suo duorumque coniuratorum sacramento approbare possit; *Turre he vorsezzenen erbezins behalten mit zween vingern ussen heiligen. daz he iz baz getun muge wven im imant dauor gesoveren muge*, debitor contra purgatorio le a praestatione census annui liberare queat: *den cins mac der cinsmeister nicht behalten mit sine eide wven iz iarcins ist. - - so wvirdet ierre des iarcirses baz ledic mit sine eide ab he soveren tar.* Nec nulla statutorum cum iure Romano consensio, veluti in pignorum caussa, cum iure Fribergensi pignoris dominium aequae ac Romano penes debitorem maneat, quod creditor nequaquam consequitur, nisi post trinam denunciationem, qua facta demum iudex petenti rem oppignoratam addicere debet. *wvirdt auch einem manne ein hus gesatcit oder eigen vnd erbe vor gericht vnd wvil he deme nachuolgen als recht ist daz man iz im eigen sulle. so sal he iz uss biren druvo dinc nach einander an vnderlaz etc.* Debitori autem ius fuit reluendi si tempestiue hoc fieret: *bringet he in deneselben tagen silber. pfennige vnd pfant di man in di iuden versetzen mac so sal he iz im zu losene geben.* Vnde vero haec statutorum et iuris Romani similitudo sit, etsi facilis coniectura est, cauendum tamen ne Germanica pro Romanis habeamus. Tamen si e iure Romano, non ex antiqua Saxonum lege est poena, quam statuta raptori virginis imponunt. Is enim si inuita virgine hocce crimen perpetratum sit, gladio punitur, quod tamen locum non habet, si vel consenserit vel postea remiserit rapta. Plane medii aevi mores respicit statu-



tum, quod creditori pigneratio permittit, pignus in securitatem census hereditarii datum foeneratoribus obligare Iudaeis: *di pfant mac he setcen in di iuden aneuare vvend iz erbecins ist*, notum enim est, eo tempore solos Iudaeos, cum Christianis vetita esset versura, foenus exercuisse. Egregium porro veteris illius ritus, quo debitor se ad manum creditoris obligabat, exemplum videmus in cap. stat. V. Talis enim debitor ad manum creditoris obligatus et ab hoc in iure assertus, interrogante iudice promittere debebat, se volentem sequi velle actorem. Quodsi hanc neglexisset cautionem actor, ac debitor effugisset, ille omne ius suum amittebat et sexaginta solidorum insuper poenam incurrebat. Debitor vero addictus erat custodiendus hac lege, ne vllum sanitati suae detrimentum oriretur: *he sal im auch also balden vnd spannen daz he bi sine gesunde blibe daz he nicht verlemt vverde*, si vero nulla creditoris culpa vel dolo, *geelingen oder von gotis gevvelden*, decessisset, hoc creditori sine fraude erat, cui solius doli vel culpae suae emendatio imperata: *so antworte he zop vnd zagel vvider vnd ist ledic zu rechte*. Plura in praesenti non persequar, quanquam et prisca vocabula diligentem et fructuosam explicationem desiderant; sic enim: *albetalle, belurbert, burnegaden, gruzvvarten, geinnote, grellen*, genus armorum, *iruallen, matban*, metallum quoddam, *nazuzim, stadilen, staben, manicfoun*, mensura vel pondus, *vinden, vvaltrvvorchte, vvatscharen, ich vvatscharte* et plura alia occurrerunt, quibus commemorandis nec charta nec tempus vacat, et tota certe statutorum complexio dignissima est, quae singulari studio euoluatur, quod vt olim fiat et viri docti commentariis illustrentur tam sanctae reliquiae, iurisprudentiae atque antiquitatum Germanicarum caussa optabile est.





VIRO SVMME REVERENDO  
CHRISTOPHORO GOTTLOB GRVNDIGIO  
SACRORVM APVD FRIBERGENSES EPHORO  
MERITISSIMO  
THEOLOGO DOCTISSIMO

S. P. D

IOH. THEOPHILVS SEGERVS

**S**ratissima mihi est persona praesidis ab humanissimo Filio Tuo de Fribergae moribus disputaturo imposita. Nam et ipse docte conscripsit suum libellum, ut eius et defensio facilis esse, et cum laude fructuosae doctrinae coniuncta videretur, et nullum mihi potuisset argumentum offerri, tum per se cum Fribergae Tuae causa iucundius. Nunquam ego meae Fribergae, quidni enim beneficio mea sit, quae quasi altera parens adolescentis olim ingenium omnibus humanitatis studiis liberalissime innutriuuit, nunquam eius aetatis, quam in schola Vestra transegi, sine acri voluptatis ac dulcedinis sensu recordor, et quicquid rerum Vestrarum, inprimis litterarum est, eius ab eo tempore aliquam partem ad me pertinere arbitror. Sed fecit, postquam operis liber eruditissimi Filii Tui, ne dum quidem a me perlectus erat ab Eo traditus, noua atque inexpectata res maiorem mihi de colloquio futuro laetandi materiam. Cum enim ego omnes iuris Saxonici reliquias religiose conquirens easque iusto volumine collectas publicare destinans, iuris Vestri municipalis, ex quo inuicem Klotzschii, viri doctissimi, eruditio praestantiam eius notiuorem reddidit, saepe concupiui codicem fideliter curateque descriptum, accidit bis diebus praeter spem atque opinionem meam, ut Consultissimus Liebius Vester, procurator Fisci et eximius caussarum patronus, is vero mihi nunquam aliquo officio aut munere, quo meam ipsi obseruantiam ostendere potuissem, adiunctus, pro insigni sua humanitate pulcherrimum apographum cum authentico in curia Vestra collatum, quem subnotatione nominis sui de fide integrae similitudinis commendauerat, dono mitteret. Vix tum eo accepto laetitiae meae exultantis sensus reprimi, nec diutius ea nunc potuit intra praecordia mea delitescere.

Cuius



859

Cuius enim putēs praeter Cl. Liebii notas manum me agnoscerē? An Tu Bidermannum, magistrum ac praeceptorem meum, cui maximam meae felicitatis partem, et litterarum amorem, et si quae in me sunt litterae, eas ipsas debeo, virum celeberrimum, cui orbis litteratus praecleara ingenii atque eruditionis opera accepta fert, denique laboribus continuis, ut nostra in omnibus artium officinis fors est, quam maxime occupatum, hunc credas suo calamo plerasque eius voluminis particulas exarasse? Dispeream, nisi chartas a tam erudito librario ornatas exosculatus sim, nisi optimum Bidermannum, quem suae doctrinae suaeque in me imprimis spectatae virtutis ac dexteritatis causa semper plus, quam oculos meos amaui, nunc etiam, si fieri possit, ob hanc insignem discipulo suo restatam beniuolentiam vehementius amem. Quantum ea fortuna auxerit meam laetitiam ex opera ornatissimi Filii Tui oriundam, facile iudicas. Sed est mihi etiam Tui causa Eius in disputando societas honorificentissima. Veni enim, Bidermanno conciliante, cum ultimam essem Fribergae per itineris alio directi occasionem, in notitiam, Vir Summe Venerabilis, Tuam, Teque talem cognoui, qualem esse quemque tam grauium munerum sustinentem oporteat, cunctis, quae Theologum ornant, literis instructissimum et in medio negotiorum ordine semper affabilem atque omnibus bonis beniuolentissimum, cuiusmodi viros doctos, quanto facilius contrahuntur aliquae ex seueriore disciplina rugae, tanto cariiores habere et elegantissimis scilicet asperitatis litteratorum censoribus, qui vitia pusillorum ingeniorum in ipsarum artium vituperium vertant, debemus crebrius ostentare. Quam ob rem ab eo tempore doctrinam ac liberalitatem Tuam saepissime praedicauimus, et doctissimo meritissimoque Parenti de filii dignissimi, eloquentiam paternam ad iudiciale dicendi genus felicissime translaturi ingenio, doctrina, diligentia in hoc egregio memento, quod ad Te perferre instituit, cum omnium eruditorum plausu spectatis et nouos ipsi honores Tuaeque Splendidissimae Genti noua gloriae incrementa proxime ex voto nostro conciliaturis publice congratulandum duxi. Ego vero, quem sua humanitate et beneuolentia totum cepit sui que vicissim reddidit amantissimum, felicitatem eius cupio tanquam meam, et ut Eum Tibi, Te Ipsi diutissime incolumem praestet, totamque domum Vestram fortunet, Deum veneror obsecrorque. Vale Vir Venerabilis, et meos Tibi fratres proxime ad Bidermannum mibique pari fide et doctrina cognitum Lutherum, veteres magistros meos, nec non ad eruditissimum mibique amicissimum Hablem discendarum litterarum causa abituros, meque ipsum favori ac beniuolentiae Tuae commendatos habe. Scripsi Lipsiae Prid. Id. Iun. an.

CICIDCCCLXVI




Leipzig, Diss., 1766-H-Z

X 247 79 73









1766, 41.

DE

# STATVTIS FRIBERGENSIBVS

ILLVSTR. IVRE CTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOHANNE THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

CODICIS ANTECESS. ORDINAR. SVBSTIT. COLLEGIO

I. CTORVM ADSCRIPTO

A. D. XVIII. IVNII A. AE. CHR. MDCCLXVI

COLLOQVIVM INSTITVET

L I B E L L I A V C T O R

IOHANNES GOTTLOB GRVNDIG

---

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE

